

Lectio XI. FUTURUM.

1. Semper pauper eris, si pauper es, Aemiliane.
Dantur opes nullis nunc nisi divitibus. (Marcialis)
 2. Mentiris iuvenem tinctis, Laetine, capillis,
Tam subito corvus, qui modo cycnus eras.
Non omnes fallis; scit te Proserpina canum:
Personam capit detrahet illa tuo. (Marcialis)
 3. Et in novissimo dierum¹ erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium et sublimis super colles, et fluent ad eum populi, et properabunt gentes multae et dicent: venite, ascendamus² ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos de viis suis et ibimus in semitis eius quia de Sion egredietur³ lex et verbum Domini de Hierusalem. Et iudicabit inter populos multos et corripiet gentes fortes (...) et concident⁴ gladios suos in vomeres et hastas suas in ligones. Non sumet gens adversus gentem gladium et non discent ultra belligare⁵ et sedebit vir subitus vineam suam et subitus ficum suam (...). Quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine dei sui nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in aeternum et ultra. (*Księga Micheasza*)
-
4. Laudabunt alii claram Rhodon **aut** Mytilenen
aut Epheson bimarisve Corinthi
moenia **vel** Baccho Thebas **vel** Apolline Delphos
insignis **aut** Thessala Tempe;
- sunt quibus un(um) opus est intactae Palladis urbem [intactus, -a, -um – nietknięty]
carmine perpetuo celebrar(e) et
undique decerp tam fronti praepo ner(e) olivam; [decerptus – zerwany]
plurimus in lunonis honorem [plurimus, -a, -um – liczny
(=wielu)]

aptum dicet equis Argos ditisque Mycenas:
me nec tam patiens Lacedaemon
nec tam Larissae percussit campus opimae [percussit – poruszył, -a, -o]
quam domus Albuneae resonantis

¹ in novissimo dierum – w dniu ostatecznym

² ascendamus - pójdźmy

³ egredietur - wyjdzie

⁴ concido 3 - przekuć

⁵ belligero 1 – prowadzić wojnę

**et praec̄eps Ani(o) ac Tiburni lucus et uda
mobilibus pomaria r̄ivis. (Hor.)**

5. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem, quae est in caelo desuper et quae in terra deorsum nec eorum, quae sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea neque coles. (...) Non adsumes nomen Domini Dei tui in vanum. (...) Memento, ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua, septimo autem die sabbati Domini Dei tui non facies omne opus, tu et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, iumentum tuum et advena, qui est intra portas tuas. (...) Honora patrem tuum et matrem tuam. (...) Non occides. Non moechaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui nec desiderabis uxorem eius, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum nec omnia, quae illius sunt. (Exodus)

[eduxi – wyprowadziłem; memento – pamiętać; ut... sanctifices – abyś święcił]

6. Et egredietur virga de radice lesse et flos de radice eius ascendet. Et requiescat super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit neque secundum auditum aurium arguet sed iudicabit in iustitia pauperes et arguet in aequitate pro mansuetis terrae. Et percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius et fides cinctorum renum eius. Habitabit lupus cum agno et pardus cum haedo accubabit. Vitulus et leo et ovis simul morabuntur et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum et leo quasi bos comedet paleas. (Isaias propheta)

7. Et aperiens os suum docebat eos dicens:

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.

Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum. (Secundum Matthaeum)